

Leben des Mönches Hugo von Thennebach.

69

indigno donatum fuisset, dum adhuc in carne uiueret, eius benedictione firmari, colloquio uti, exemplis informari. Que igitur scribo, non ficta sed uera esse noscuntur, quia non indiget nostra fucata laude, qui comprobatus fuerat, dum adiuueret, perfectus humane laudis et transitorij fauoris exitisse contemptor.

12. In eodem monasterio fuit monachus unus, cuius conuersatio alijs scandalum ministrabat, cum esset minus ad opus dei feruens, sed plurimum negligens et carnales consolatiunculas cum affectu querens. Huic uir ille sanctus mente compassus tinnisse dicitur, ne quasi ouis errans, cum pij pastoris uocem non audiret, luporum incuribus ad tetram mortis eterne caliginem raperetur. Cepit itaque anxius interpellare pro eo dominum, sacrosancta mysteria cum sacrificio spiritus contribulati multociens offerens deo, ut ab errore suo respiceret et teporis ignauia postposita in milicia sua professionis forcior efficeretur. Accidit, ut quadam uice in oratione totus inflamatus humiliter desideraret, ut mutacio dextre excelsi\* non tardaret, sed subito in ipso manifeste appareret. Et ecce, pius dominus, sicut olim Samueli in sylo, sic uiro dei in oratorio apparere dignatus est, ut uere dicere posset: loquere, domine, quia audit seruus tuus. Raptus enim in extasim uidit, quem eius anima diligebat, dominum Jhesum Christum et fratrem illum, pro quo preces fuderat, in signum sue predestinacionis eius dextro brachio amicablem complexum, ut clare cognosceret, ipsum suis ouibus associatum. Luporum hoc est malignorum spirituum morsibus sua speciali defensione securum, nequaquam posse patere. Unde uir sanctus ad se conuersus, omnem ambiguitatem de ipsius salute deponens et certam concipiens presumptionem secundum illud, quod in libro Job legitur: Non est, qui de manu mea possit eruere\*\*, scilicet, quem ad uitam eternam preordinaui, ad maiorem igitur cautelam, personam subleuit nulli eam reuelando, licet uisionem quibusdam dixerit, ne fieret infirmo superbiendi materia, quod sancto homini uidere concessum est ad deuocionis incrementum.

13. Quid plura commemorem? Quam seuis ultor fuerit uiciorum in carnis mortificatione, testantur primordia sue conuersionis. Ad instar enim filiorum Israel Jebuseum id est carnem, quam delere non poterat\*\*\*, cogebat seruire sub tributo, dum preter crebra et aspera ieiunia prolixasque uigilias ceteraque carnis flagella, cathena ferrea lumbos suos cinxerit, ut caro, que leta traxit ad culpam, dolens nichilominus subiret

\* Psal. 76, 11. \*\* Job. 10, 7. Deuteron. 32, 39. \*\*\* Sof. 15, 63.

penam, ne lasciueret. Hanc cathenam longo tulit tempore, donec consumpta rubigine de eius carne solueretur ipso ad oracionem stante et cum lacrimis pro suis excessibus suppliciter deprecante. Et ecce, serpens antiquus per rimas cogitacionis occulte mentem eius occupauit, dum presumere uane cepisset eius penitentiam deo placuisse et illud posse decantare propheticum: Dirupisti uincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Pius ergo dominus, uolens suum seruum corrigere, malens ipsum carne quam mente languere, antequam moueretur de loco, subito facta est super eum manus domini, ut pene ad mortem infirmaretur et fratrum manibus ad lectum usque deductus disceret, neminem de uenia esse securum, donec ingrediatur locum tabernaculi admirabilis usque ad domum dei, non manu factam in celis, ubi secure dicitur: Lauda Jerusalem dominum, lauda deum tuum Syon\*.

14. Ab illo ergo die usque ad terminum uite sue, fere annis quadraginta, absque solito carnis grauamine inflationem splenis continue patiebatur adeo, ut stans siue sedens ad latus sinistrum inclinatus doloris uiolenciam intuentibus indicaret. Athletha uero dei, sicut de beato Gregorio canitur:

presumebat se diligi,  
quod merebatur argui; \*\*

diligit enim dominus filium, quem corripit. Vnde dicit in apocalypsi: Ego, quos amo, arguo et castigo\*\*\*. Inter hec omnia quam assiduus in deuota oratione, quam assiduus in ministracione, quam pius in fraterna compassione, quam dulcis in confabulacione, quam paciens et mitis ad iniuriantes, quam caritatiuus ad omnes, non possum plene describere, sed de sola abstinentia quiddam mirabile et nostris temporibus inauditum legitibus, manifestare propono.

15. Accidit, ut mente conciperet, quibus modis uiam inueniret, quatinus licencioso per aliquod tempus carnem suam abstraheret a uino, ut animam suam transferret ad ueram sapientiam, id est Christum. abbatis sui consensum nullis precibus poterat obtinere, ut uinum non hiberet, ne uim inferre uideretur nature, que adeo defecit in hominibus, ut etiam perfectioribus concedatur modico uti uino propter stomachum et propter frequentes alias infirmitates. Abbas tandem deuictus senis deuocione, quam non licuit indignanter repellere, maxime quia mortem proximam fatiscentes iam artus denuntiabant, uoto eius consensit

\* Psal. 147, 12. \*\* Dieß scheinen mir zwei Verse aus einem alten Hymnus auf den h. Gregor, der aber nicht bekannt ist. \*\*\* Apocal. 3, 19.